BENEDICTUS PP. XIIJ

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Alias fel: rec: Innocentio PP. XIJ Predecori nro pro parte clar: mem: Caroli Secundi dum vixit, Hispaniarum Regis Catholici exposito,
quod dudum rec: mem: Innocentius PP. XJ pariter Predecessor noster Hospitali Innocentium nuncupato Civitatis Hispalen: de alicuius subventionis auxilio providere volens, eidem Hospitali unam pensionem
annuam mille et quingentorum monetae Hispaniae super fructibus, redditibus, et proventibus Mensae Archiepiscopalis Hispalen: quae de iurepatronatus ipsius Caroli Regis ex privilegio Aplico, cui non inveniebatur catenus
in aliquo derogatum esse dignoscebatur, ad Decennium tunc proximum tantum duraturam sub certis modo et forma tunc expressis reservaverat, constituerat et assignaverat, et alias prout in eiusdem Innocentij
XJ Predecoris literis desuper sub plumbo expeditis uberius dicebatur contineri, Et in eadem expositione subiuncto quod decennij ad quod pensio predicta sicut premittitur reservata fuerat, finis imminebat, nec tamen
causae propter quas reservatio pensionis huiusmodi facta fuerat, adhuc cessaverant, cupiebatque propterea idem Carolus Rex eandem pensionem ad aliud decennium prorogari, quemadmodum tunc existens Archiepiscopus
Hispalen: suum ad id consensum iam praestiterat; Idem Innocentius XIJ Predecessor supplicationibus ipsius Caroli Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, et attento consensu prorogationi
huiusmodi a supradicto Archiepiscopo, sicut premittitur praestito, reservationem, constitutionem et assignationem supradictae pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus, redditibus
et proventibus predictis a memorato Innocentio XJ Praedecessore factas ut prefertur, ad aliud decennium ab ultima die primodicti decennij computandum, sub certis modo et forma tunc expressis Aplica auctoritate prorogavit,
extendit et ampliavit. Ac postmodum piae mem: Clemens PP. XJ itidem Predecessor noster reservationem, constitutionem et assignationem dictae pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae huiusmodi super
eisdem fructibus, redditibus et proventibus a pto Innocentio XJ factas et ad alios decem annos ab Innocentio XIJ Predecessoribus predictis prorogatas, extensas et ampliatas respective ut prefertur, bis pro qualibet vice ad alios
decem annos dumtaxat a fine decem annorum prorogatorum huiusmodi computandos, accedente tamen tunc pariter existentis Archiepiscopi Hispalen: consensu, simili auctoritate prorogavit pariter, ac extendit et ampliavit, et
alias prout in utriusque Innocentij et Clementis Predecorum predictorum literis desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores presentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius
continetur. Cum autem sicut Charissimus in Chro filius noster Philippus earundem Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, decennium ab eodem Clemente Predecessore novissime prorogatum
iam expiraverit, indigentia vero dicti Hospitalis pro curandis infirmis adhuc de praesenti perduret, ac proinde idem Philippus Rex dictam pensionem ad aliud Nobis beneviisum tempus prorogari plurimum desideret, iam-
que Venerabilis Frater modernus Archiepus Hispalen: suum ad id consensum praestiterit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in premissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate Aplica dignaremur.
Nos igitur ipsius Philippi Regis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac dilectorum filiorum modernorum Administratorum Hospitalis huiusmodi singulares personas,
a quibusvis excois, suspensionis et interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum
serie absolventes, et absolutas fore censentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nrorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum consilio, reservationem, constitutionem et
assignationem supradictae pensionis annuae mille et quingentorum ducatorum monetae Hispaniae super fructibus, redditibus et proventibus dictae Mensae Archiepiscopalis Hispalen: Hospitali predicto, et pro eo illius
administratoribus pro tempore ad decem annos ab Innocentio XJ factas et ad alios decem annos ab Innocentio XIJ, et bis pro qualibet vice a Clemente XJ Predecessoribus predictis prorogatas, extensas, et ampliatas respective
ut prefertur, ad aliud Decennium dumtaxat a fine decem annorum ultimo loco ab eodem Clemente Predecessore prorogatorum huiusmodi computandum, servata in reliquis utriusque Innocentij et Clementis Predecorum literarum
forma et dispositione, auctoritate pnta tenore praesentium itidem prorogamus, extendimus et ampliamus, salva tamen semper in premissis auctoritate Congnis eorundem Cardinalium. Decernentes easdem praesentes literas firmas, va-
lidas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Hospitali et Administratoribus pro tempore in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in premissis per quoscumque Iu-
dices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatij Aplici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus
premissis ac omnibus et singulis illis, quae in supradictis utriusque Innocentij et Clementis Predecorum literis concessa sunt non obstantibus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum
Petrum sub annulo Piscatoris Die Secunda Martij MDCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius

Bulla del S.r Benito
13. su Data 2 de Mayo
de 1725. en q. prorroga
al Hosp.l la Pension de
1500 Duc.s ann.s sobre los
frutos de la Dign.d Arzobisp.l

N. 32.

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACION PROVINCIAL SEVILLA
ARCHIVO

PERGAMINOS, 780
Hospital de los Inocentes, leg. 5